

# CASUS

## DE VENDITIONE EJUSQUE SPECIEBUS

### SEU

*De æquitate servanda in venditione; de vitiis mercis manifestandis, de justo rerum pretio; de errore in alterutro contrahente; de variis adjunctis venditioni adnexis; de retrovenditione; de venditione sub hasta; de monopolio; de negotiatiōne.*

### CASUS I.

#### ÆQUITAS IN VENDITIONE.

1° DURANDUS, Sacerdos, vendere volens calicem sibi 200 francis constantem, et nunc pluribus defectibus laborantem, EUCHARIUM aurifabrum adit, calicemque ei venalem offert. EUCHARIUS, eo lustrato, licet animadvertat defectus facile corrigendos, promittit se solum argenti pondus soluturum esse. Ponderato igitur calice, 100 francos tantum DURANDO tribuit. EUCHARIUS vero calicem, parvo labore reffectum, alteri 200 francos vendit.

2° MARTINUS equum a FLORENTINO 300 francis emit, illum post tres dies accepturus, et pretium eodem tempore soluturus. Sed ecce! quando venit ad equum accipiendum, rescit illum pridie morbo periisse: negat igitur pretii solutionem; illud vero requirit venditor, quia, seclusa sua culpa, equus perit.

3° GUIBERTUS vinum emit a CAROLO. Pactum est, et quidem scripto, vinum illud per mensem a venditore servandum esse, et pretium solvendum ab emptore, eodem tempore elapso. Verum, solutione a GUIBERTO omissa, CAROLUS vinum servare debuit; sed cum paulo post vini pretium decrevisset, CAROLUS damnum grave subiit.

HINC :

QUÆR. 1° *An aurifaber, in primo casu, ad restitutionem teneatur, sive erga venditorem calicis, sive erga novum emptorem?*

2° *Quis, in secundo casu, damnum equi mortui subire debeat, an venditor, vel emptor?*

3° *An GUIBERTUS, in tertio casu, damnum CAROLO emergens ob solutionis moram, reparare debeat?*

SOLUTIO :

907. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* EUCHARIUS neutri restituere debet. 1° Ad nihil tenetur erga DURANDUM venditorem; est enim consuetudo, ut aurifabri res veteres, præsertim variis defectibus laborantes, pro auri vel argenti

pondere emant; quia illæ non pluris communiter æstimantur, nisi modus artificialis sit valde pretiosus. Ergo, si EUCHARIUS facile calicem reficere potest, emolumentum ipsi proveniet.

2° Neque magis tenetur erga emptorem, quia limites pretii summi non excessit, ut patet, cum calix jam a DURANDO pro illo pretio emptus fuerit, nec constet quod pro illo emendo supremum pretium solutum sit.

908. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Per se MARTINUS* emptor damnum subire debet. Hoc patet ex *jure naturali* et *Gallico*; quia emptor est verus dominus, siquidem contractus venditionis mutuo consensu omnino perfectus est; atqui res perit domino: ergo equus perit MARTINO. Idem etiam tenendum de *Jure Romano*, licet venditor rei dominium servet donec tradita fuerit, nisi aliter pactum sit. Ratio est, quia, licet venditio non sit omnino perfecta ante rei traditionem, attamen, si res vendita determinata sit in individuo et pereat ante traditionem, emptori perit. *Elbel, n. 568, 577. — Lugo, disp. 26, n. 218. — S. Lig. n. 828.*

2° Attamen, si equus perierit morbo mortifero ante venditionem jam contracto, perit venditori, quia contractus fuit nullus ob errorem, etiamsi animal traditum fuerit; venditor enim rem nullius valoris magno pretio comparavit: ergo error est *substantialis*; ergo invalidat consensum; ergo invalidus est contractus; ergo emptor equum solvere non tenetur; vel, si jam solvit, pretium repetere potest. *V. Comp. n. 884.*

909. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* GUIBERTUS, emptor, damnum reparare debet erga CAROLUM, si in mora culpabili fuerit, id est, si causa aliqua gravi impeditus non sit. Ratio est, quia, contractum violando, damni causa efficax factus est; impedit enim CAROLUM, ne vinum suum tempore majoris pretii venderet. Secus vero, si aliqua gravi causa cohibitus fuerit. *S. Lig. n. 880. — V. Comp. n. 714.*

### CASUS II.

#### VITIA REI MANIFESTANDA.

PHILIPPUS in nundinis accedit ad PONTIUM, equorum negotiatorem: *Cupio, ait, equum currui aptum.* PONTIUS suos venales equos ipsi ostendit. PHILIPPUS unum eligit, bonum quidem ad equitandum, sed ineptum ad currum trahendum. Vitio celato, venditor justo pretio equum emptori tradit.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quandonam venditor vitia rei suæ emptori manifestare teneatur?*

2° *Ad quid teneatur, si ea manifestare omiserit, sive interrogatus, sive non interrogatus?*

3° *Quinam defectus reddant venditionem rei nullam, aut rescindibilem?*

4° *An valeat contractus venditionis in casu allato?*

SOLUTIO :

910. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Venditor tenetur manifestare defectus rei suæ,

si sint substantiales, spectato fine emptoris, vel si rem noxiam aut inutilem reddant, vel si specialiter de defectu aliquo interrogetur. *V. Comp. n. 882.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Tenetur venditor ad rescindendum contractum, si defectus sit substantialis, et ad damnum compensandum, si tantum accidentaliter fuerit, v. g. si, ratione defectus, res pretio indebito vendita sit; nec obstat quod de rei suæ defectibus interrogatus non fuerit.

911. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Defectus qui venditionem nullam aut rescindibilem reddunt, sunt defectus *substantiales*, ex quibus res noxia, nullius vel minimi valoris, aut inutilis juxta finem emptoris efficitur; et vitia quæ dicuntur, ex lege, redhibitoria (*vices rédhibitoires*). Redhibere autem est facere, ut rursus habeat venditor quod habuerit. Varia autem sunt juxta varias locorum leges. Sed rescissio contractus ut in foro externo obtineatur, tempore statuto invocari debet.

912. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Contractus iste est invalidus propter errorem *substantialem*, cum equus ineptus sit ad finem eementis. Hic igitur, graviter deceptus, non verum dedit consensum. Ergo PONTIUS, etiam de jure naturali, tenetur rescindere contractum, et damna, si quæ sint, reparare, quia dolo et fraude usus est, defectum equi celando, graviterque contra justitiam peccavit.

### CASUS III.

#### EQUUS CÆCUS PRO VIDENTE VENDITUS.

TIBURTIUS, equum cæcum venditurus, antequam ad forum publicum eum deduceret, ejus pupillis quemdam pulverem insufflavit, quo easdem pupillas reddidit splendentes, ita ut videns crederetur. Cum autem TIBURTIUS in mediis nundinis equum exposuisset, ad eum accessit SIMON qui, bellua ex omni parte circumspicere, de pretio paciscitur, et 300 francos pro equo obtinendo solvit, dum, si ejus vitium cognovisset, vix centum francos pro eo obtulisset.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An contractus ille venditionis sit injustus?*  
 2<sup>o</sup> *An sit omnino invalidus?*  
 3<sup>o</sup> *An emptor, postea advertens ad defectum, nec patente recursu ad venditorem, equum alteri revendere possit, [ad se indemnem faciendum?*

SOLUTIO :

913. *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* TIBURTIUS enim graviter peccavit contra justitiam, equum facultate videndi orbatum vendendo, pro equo bonis oculis instructo. Ratio est, quia, naturali æquitate exigente, venditor tenetur emptorem de notabili mercis vitio monere, quando advertit vitium ab illo ignorari. Atqui cæcitas equi est vitium valde notabile: ergo... Præterea, venditor inducens emptorem fraude ad emendum majori pretio equum quam ipse emere vellet, ei gravem infert injuriam; quisque enim jus habet, ne fraude aut mendacio in aliquod damnum inducatur. Atqui TIBURTIUS

emptorem fraude in damnum induxit. Ergo ad damna resarcienda tenetur.

914. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Contractus ille omnino invalidus videtur. Ratio est, quia emptor, dolo inductus, in re notabili erravit, saltem in substantia morali, si non in substantia physica equi: nam, quando res notabiliter differt ab ea quam emptor intendit, hic in substantia errasse censetur. Atqui equus cæcus notabiliter differt ab equo vidente. Ergo... Numquid enim emptor voluisset emere equum visu orbatum, et pro eo solvere sicut pro vidente? Ergo dolus affectit substantiam contractus; ergo defuit verus consensus; ergo contractus ipse ruit. — *Elbel, de Rest. n. 160. — Lacroix, lib. 3, part. n. 955.*

915. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Nego prorsus.* Quemadmodum enim emptori injuria gravis facta est a venditore, ita pariter emptor injuriam gravem alteri inferret, ob eandem rationem. Nonne semper clamat principium illud lumine naturali notissimum: *Alteri ne facias quod tibi fieri non vis?* Si monetam spuriam ab alio incognito acceptam haberes, numquid tuta conscientia alteri tradere posses, ut bonam? et si vitrum pro gemma emissas, possesne illud alteri pro gemma vendere? Nequaquam, clamat sensus naturæ communis. Ergo neque equum cæcum, quem emisisti ut videntem, rursus alteri pro vidente vendere potes. Nec dicas te id facere ad te compensandum, nam damni compensationem apud illum solum a quo damnificatus es requirere potes. *Elbel, ibid. — Lacroix, l. 3, p. 2, n. 948-955.*

### CASUS IV.

#### DE JUSTO PRETIO 1<sup>o</sup>.

ALIPUS, mercator, a Confessario interrogatus quomodo se haberet circa venditionem variarum mercium: « Pater, inquit, regula generalis mihi est vendere quam maximo possum pretio, sicut emptores ex sua parte quam minimo pretio emere contendunt, et sic ad justum pretium servandum devenitur; et si quandoque majus lucrum percepero, alias viliori pretio vendere cogor, atque ita compensatio datur. Fateor equidem quod, secundo flante vento, mihi contingit lucrari 10, 15, 20 aut 50 procentum, præsertim ex minutis mercibus; sed nec raro infeliciter res se habent, ita ut merces in officina asservari debeant, vel viliores evadant, aut etiam corrumpantur, veluti sæpe de fructibus evenire solet. Nullis igitur conscientie scrupulis, Pater teneor. »

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Unde oriatur pretium mercium, et quotuplex distinguatur?*  
 2<sup>o</sup> *Quid, in nostro casu, a Confessario responderi debeat?*  
 3<sup>o</sup> *An venditor sit tutus in conscientia, si emptor contentus videatur, et libenter pretium solvat?*

SOLUTIO :

916. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Pretium est, aliud legale, quod lege deter-

minatur, aliud vero *vulgare*, quod ab æstimatione populi repetitur. Communiter autem res maximæ necessitatis ad usus humanos taxæ legali subjiuntur.

Pretium *vulgare* triplex iterum distinguitur, scilicet, *summum*, *medium* et *infimum*. Si pretium *medium* rei alicujus v. g. sit 10, pretium *summum* erit 11, et *infimum* 9. Crescente autem mercis pretio, crescit etiam in eadem proportione latitudo inter pretium *summum* et *infimum*. Sic v. g. res quæ valet circiter 40 fr., poterit vendi 45 in *summo* pretio, et 35 in *infimo*. Iterum res quæ venalis est 100 fr. circiter, remanebit facile in justo pretio a 90 fr. ad 110.

Ratio autem cur pretium *vulgare* hanc habeat latitudinem, est, quia vulgi appetitatio moraliter accipitur; non potest enim consistere in gradu indivisibili, sicut pretium *legale*.

Pretium rerum repetendum est ex earum utilitate ad usus humanos, non vero ex consideratione earum physica, seu ex qualitatibus intrinsecis. Secus enim muscula, aut formica nullius valoris, pluris valeretur quam cumulus frumenti. Hinc pluris vel minoris res æstimari debent; prout magis vel minus humanis usibus inserviunt.

Pretium *vulgare*, cum ab æstimatione populi pendeat, non solum magnam habet latitudinem sed etiam perpetuis variationibus obnoxium est, pro variis rerum adjunctis, præsertim pro majori emptorum concursu, aut mercium quantitate, necnon locorum discrimine.

Attamen res quædam æstimationi vulgi non subjiuntur, quia eam superant, utpote rarissimæ et valoris extraordinarii, ut sunt gemmæ, tabellæ pretiosæ, etc.

Hæc autem, juxta communem sententiam, iudicio peritorum æstimanda sunt. Probabiliter tamen putant plures legitimum esse valorem, licet multo viliozem, ab ipsis contrahentibus, etiam imperitis, mutuo consensu præfixum.

917. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Falsissimum est ALIPII principium. Etenim certum est existere verum mercis pretium sive *legale*, sive *vulgare*, ut dictum est, et ab omnibus agnoscitur. Ergo injustitiæ reus est qui illud pretium evidenter excedit vendendo, vel non attingit emendo, saltem *per se loquendo*; secus enim jam nullum daretur pretium. Sic non potes absque gravi injustitia vendere ignaro 100 francis rem quam aliis pro uno fr. concedis. Contentio autem inter vendentes et ementes efficit ut æquilibrium in medio pretio generatim servetur, vel etiam ut pretium pro adjunctis varietur; sed est semper pretium currens et tenendum.

918. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Nego*, si pretium non includatur inter *summum* et *infimum*, moraliter existimatum, quia erit injustum. Si emptor sit contentus, hoc fit ex eo quod verum rei pretium ignoret, et a venditore decipiatur.

#### CASUS V.

##### DE PRETIO JUSTO 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> MAURINUS, mense Novembri, frumenta habet venalia, sed quæ, decurrente tantum mense Maio, vendere intendit. Ad eum venit LIBORIUS, ea

emere cupiens. Negat MAURINUS se ante mensem Maium quidpiam venditurum esse; attamen frumenta hic et nunc tradere consentit, sed pro pretio quod tunc temporis usus feret. LIBORIUS, frumento pro familia egens, illud emit pro hujusmodi pretio tunc solvendo.

2<sup>o</sup> FAUSTINUS emit frumenta, anticipata solutione, et ideo pretium minus justo tribuit. Deinde ex eis quædam *ad creditum* pretio summo, imo et quædam supra summum pretium vendit.

3<sup>o</sup> CLITANDER quædam minoris emit quam tunc valebant, quia vendentes, aliqua necessitate compulsi, ea venalia offerebant. Quædam ipse pluris justo vendidit, quia videbat emptores speciali affectu erga ea teneri; quædam etiam, quia specialem affectum erga ea ipse habebat. Tandem agrum domui TITII vicinum, ipsi TITIO pluris justo vendidit propter speciale emptoris commodum.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An aliquando pluris pretio currente vendere possis, aut minoris emere?*

2<sup>o</sup> *Quid ad casus propositos?*

SOLUTIO :

919. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirmative.* 1<sup>o</sup> Licet quidem aliquando rem pluris vendere ob circumstantiam pretio æstimabilem : v. gr., si venditor affectum specialem, vel commodum speciale habeat quoad rem aliquam quæ ab eo postulat.

2<sup>o</sup> Aliquando licet vilius emere in gratiam venditoris emptores quærantis, præsertim si res emptori sit parum utilis, quia *merces ultroneæ vilescunt*. V. *Comp. n.* 892, 893.

3<sup>o</sup> An vero venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris?

*Negant communiter* Theologi, quia major utilitas vel affectus non est venditoris et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet quod suum non est. — *S. Thomas, 2. 2. qu. 77, art. 1*, ubi sic loquitur : « Si aliquis « multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit non « damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas « quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis : « nullus autem debet vendere quod suum non est. » — *Consonat S. Lig. n.* 806, et *Carrière, n.* 692, etc., etc., contra *aliquos recentiores*.

920. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. In primo casu* : MAURINUS non est damnandus. Etenim frumentum LIBORIO ante mensem Maium vendit tantum in ejus gratiam; si autem pretii determinationem ad illud tempus non remittat, id faciet cum proprio detrimento, siquidem, tempore remotiori, certo frumentum sit carius venditurus, ob majorem ejus raritatem; porro non tenetur cum suo damno vendere. *Reuter, n.* 208.

*In secundo casu* : neque culpandus est FAUSTINUS, dummodo augendo pretium in venditione ad creditum, et illud imminuendo ob anticipatam solutionem in emptione, non excedat taxam legalem pro mutuo pecuniæ præscriptam. Olim negabant Theologi licere pluris vendere *ad creditum*;

sed, posita lege quæ lucrum ex pecunia mutuata percipere permittit, et stantibus hac de re responsis S. Sedis, hoc saltem tolerandum est, modo excessus prohibitus evitetur.

*In tertio casu* : non est inquietandus CLITANDER, quia vilius emit res quæ offerebantur, cum res *ultroneæ vilescant*; neque, quia alias pluris vendidit ob specialem suum affectum; secus vero, si pluris res vendiderit ob affectum particularem, vel commodum majus ipsius emptoris, juxta superius dicta.

## CASUS VI.

## DE TABACI DELECTU.

*Seu, de gustibus non est disputandum.*

NICOSTRATUS, vir nobilis et dives, tabacum optimum emere volens, RICARDUM mercatorem celeberrimum adiit, et jussit sibi afferri tabacum quam pretiosissimum quod inveniri posset : cui variæ tabaci species, moderato relative pretio, ei extemplo exhibentur. Nulla vero ei placuit. Interea autem aliquis, NICOSTRATI comes, mercatoris auribus instillavit nullam prorsus speciem ei placituram, nisi magno staret pretio. Quamobrem mercator : *Habeo*, inquit, *aliam speciem, sed quælibet libra venit 15 francis*. — Hæc autem infima erat species; quam cum NICOSTRATUS degustasset : « Hæc est, inquit, species quam desidero; » et mox, assumptis quinque libris jussit pro illis desideratum pretium solvi, et lætabundus abiit, et lætior adhuc mercator ei valedixit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An mercator, tuta conscientia, pretium illud acceptare et retinere possit?*

2<sup>o</sup> *Quid de hospitibus qui aquam vino infundunt, ut dulcius appareat?*

SOLUTIO :

921. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Nego prorsus*. Ratio est, quia non licet augere pretium mercium pro libito mercatoris, sed tantum intra latitudinem pretii justî, etiam summi, juxta communem hominum æstimationem. Ideo enim non licet vitrum vendere pro gemma, neque cuprum pro auro. Atqui in communi æstimatione hominum rem intelligentium, species tabaci viro nobili vendita, non erat tanti pretii, imo infimi : ergo sine violatione justitiæ tanto pretio vendi non potuit.

922. — *Objicies : Scienti et volenti non fit injuria*, juxta axioma notissimum; atqui NICOSTRATUS scivit quænam esset illa species tabaci : nam eam degustavit, aliisque speciebus prætulit, libereque ac libentissime pretium a mercatore postulatum solvit. Ergo nulla ei facta est injuria. Hinc axioma : *De gustibus non est disputandum*. Ergo vir ille nobilis potuit in hac specie tabaci majorem invenisse gustum quam in cæteris, et eo ipso judicasse esse pretiosiorum. Ergo...

*R. Neg. min.* Vir nobilis enim non agnovit tabaci qualitatem, neque

pretium : imo aperte deceptus fuit; mercator enim non desumpsit hujus tabaci pretium ex communi hominum intelligentium æstimatione, vel ex ejus qualitate intrinseca, sed qualitatem dilaudavit arbitrario, et pretium pro libito adauxit. Error autem iste causam dedit contractui, qui certo initus non fuisset, neque pretio inferiori, si res cognita fuisset. Ergo nullus fuit contractus; vel saltem damnum *pro rata* injustitiæ reparandum est. Nec refert quod vir nobilis specialem affectum erga hanc speciem tabaci ostenderit; non enim tabacum emit ex particulari affectu, sed errore deceptus. *Elbel, n. 571.*

923. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Communiter peccant contra justitiam, si pretium vini summum industria excedant, vel etiam, si bibulos nescientes sic ad summum pretium solvendum cogant, quia non libere in tale pretium consentiunt. Secus si, hoc non obstante, medium pretium communiter non excedant. *Recole dicta supra de Contractibus in genere, cas. 13, n. 791 et seq.*

## CASUS VII.

## TABELLA INSIGNIS, PRETIO VILIS!

BASILIUS, Parochus, pretio 5 fr. a simplici rustico emit veterem B. M. Virginis tabellam, diuturno fumo conglutinatam. Gaudet rusticus, qui etiam multo minori pretio imaginem hanc nunquam vendere potuerat. Festinat autem Parochus eam, quoquo modo mundatam, in parochiana Ecclesia collocare. Paucis vero interpositis diebus, ecce peritissimus pictor anglus, cum casu Ecclesiam fuisset ingressus et imaginem intuitus, extemplo pro ea sex milia fr. offert. Agnovit enim genuinum esse Raphaelis opus. Mirari primum et obstupescere Parochus! Attamen judicat esse sedulius de pretio tabellæ inquirendum, et tandem ab emptore obtinet 20 millia fr., quæ ad reparandam Ecclesiam adhibere statuit. Sed mox anxius dubitare cœpit, num totum lucrum rustico restituere debeat, necne.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An valeat contractus rerum quæ pretio vulgari carent, si vili pretio vendantur?*

2<sup>o</sup> *An Parochus in nostro casu ad restitutionem teneatur erga rusticum?*

3<sup>o</sup> *Quid de illis qui res pretiosas quascumque vili pretio emunt apud veteramentarios?*

4<sup>o</sup> *Quid de illis qui emendo bibliothecam, v. g. Sacerdotis defuncti, libros novos, sicut alios, pretio tenui emunt?*

SOLUTIO :

924. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Controvertitur*. Probabiliter affirmandum est, quia in eo casu justum videtur illud pretium, de quo contrahentes bona fide conveniunt. Multi tamen contradicunt, et forte probabilius, quia res quæ pretium vulgare superant, a peritis in hac materia æstimari debent. In praxi non sunt inquietandi qui bona fide res hujusmodi emunt, et, co-

gnito valore, retinent, nec pretii partem in venditorem refundunt. S. Lig. n. 807. — *Salmant.* — *Gousset*, n. 842. — *V. Comp.* n. 890.

925. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* BASILIUS, Parochus, minime inquietandus est, ut constat ex modo dictis. Etenim tabella hæc adeo pretiosa non-pluris ab utroque contrahente æstimabatur quam pretio quinque francorum, nec fraus nec dolus in contractu intervenit. Dices forte, errorem hic esse substantialem, ut in casu exposito supra, n. 781, de annulo adamantino, qui pro vitreo venditus est. *R. Nego*, quia error non est de rei substantia, bene vero de ejusdem pretio tantum. Fuit igitur præsens contractus *quasi aleatorius*, et juste emolumentum servat ille cui Providentia favet. Imo valde laudandus Parochus, ex eo quod, licet propria pecunia tabellam acquisiverit, nihil tamen pro se de pretio retinuerit. Attamen etiam laudabiliter egisset, si partem aliquam pretii ex tabella obtenti in gratiam venditoris erogasset.

926. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Non sunt inquietandi, quia res illæ censentur amisisse pretium suum antiquum, et aliud ex consuetudine, vel contrahentium voluntate sortiri. Itaque res hujusmodi, ratione pretii, maximam accipiunt latitudinem. S. Lig. n. 807. Idem dicendum de emptione mobilium veterum (*choses de rencontre*), quia minoris communiter habentur, et facile etiam pro media vel tertia parte pretii veneunt, etc.

927. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Idem est in hoc casu dicendum ac in præcedenti, ob eandem rationem, scilicet ex eo quod, ratione consuetudinis, libri tunc vilescant. Hoc præsertim valet, si libri sub hasta vendantur.

## CASUS VIII.

## ARCANÆ LITTERÆ.

GERVASIUS, agricola, terram effodiendo, magnam veterum numismatum copiam invenit, quæ cum ostendisset LAZARO prætereunti, et valorem ab eo postulasset: « Nullius fere valoris sunt, respondit ille jocando. Lege tu ipse litteras in eis impressas. » Litteræ autem illæ erant: S. P. Q. R. et referebant notissimam inscriptionem: *Senatus Populusque romanus*. « Vide, inquit, S. P. Q. R., id est: *Sit parum quod reddat*, seu gallice: *Si peu que rien*; quare fere nihil valent. » Abiit LAZARUS, et rem renuntiavit ROBERTO, qui agricolam adiit et pro minimo pretio sibi comparavit numismata, summoque valore ea vendidit.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> An ROBERTUS ad restitutionem erga agricolam teneatur?

2<sup>o</sup> An ejus defectu LAZARUS?

SOLUTIO:

928. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Certissime ROBERTUS ad restitutionem tenetur erga venditorem. Etenim *fraus sua nemini patrocinari debet*, juxta per-vulgatissimum et receptissimum axioma. Atqui ROBERTUS fraude et dolo agricolam jam ab alio deceptum circumvenit, et ejus ignorantia et simplicitate abusus est. Etenim, licet res hujusmodi pretium non habeant, et

*per se* vili pretio emi possint, venditor tamen *jus strictum* habet ut non decipiatur. Ergo ROBERTUS agricolæ, *pro rata* excessus ab arbitris determinandi, restituere debet. Nec obstat quod ROBERTUS ipsemet GERVASIUM non deceperit; nam fraude alterius utitur ad monetas pretiosas ab eo extorquendas, quod idem est ac si eum ipse in errorem induxisset. Etenim ipse mala fide contraxit cum homine valoris monetarum prorsus ignaro, dum ipse valorem hunc perfecto cognoscebat. Ergo deficiebat æqualitas in contractu. Ergo ROBERTUS injustitiæ reus est, adeoque ad restitutionem tenetur. Hinc patet discrimen inter casum hunc et præcedentem. In priori enim ambo contrahentes versantur pariter in errore circa rei valorem, non vero in posteriori.

929. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Quid de LAZARO dicendum? Numquid ab omni specie injustitiæ immunis erit? Nequaquam; etenim in damnum, ut cooperator, efficaciter influxit, amicum suum ROBERTUM de re admonendo, si damnum præviderit; si vero, ante factum, rem non præviderit, debuit statim errorem agricolæ corrigere, si cognoverit (ut probabile est) contractum hunc habendum esse, vel ROBERTUM a contrahendo impedire. LAZARUS igitur, deficiente ROBERTO, restituere debet, quamvis emolumento particeps non fuerit. Secus tamen in casu quo LAZARUS joculari tantum intendisset, nec contractum prævidisset faciendum, quia tunc prævisio damni deesset, et proinde nullus in illud influxus ex LAZARI parte adesset.

## CASUS IX.

## THESAURUS A TALPA EFFOSSUS.

BENEDICTUS in suo prato invenit (*mirabile auditu!*) ejectum a talpa nummum aureum veterem, cujus pretium ignorabat. Gaudens ac exiliens illum defert ad aurifabrum. Hic pretium multo minus justo offert, licet valorem nummorum ordinarium excedens. Tum: *Esne contentus?* ait; *et si pretium forte majus sit, visne id mihi condonare?* Annuit BENEDICTUS, et libenter quidem, quippe qui non sperabat tantum pretium se recepturum esse, et contractus perficitur.

HINC:

QUÆR. An aurifaber in conscientia tutus esse possit, vel utrum ad restitutionem erga BENEDICTUM teneatur?

SOLUTIO:

930. — Idem prorsus dicendum est in præsentis casu ac in casu præcedenti, de monelis veteribus romanis: aurifaber ad restitutionem erga BENEDICTUM omnino tenetur. Ratio potentissima est, siquidem evidenter ignorantia rustici illius abusus est. Etenim valet quidem *probabiliter* venditio rerum extraordinarie pretiosarum, pro minimo valore habita, si uterque contrahens verum rei pretium ignoret. Sed in casu nostro aurifaber pretium minime ignoravit, ergo bona fide requisita caruit; ergo vendentem decepit, injuriamque in eum commisit; ergo ad restitutionem tenetur. Nec obstat quod BENEDICTUS visus sit majus pretium condonare, si forte